et notos. et non invenientes regressi sunt in Ierusalem requirentes eum. Et factum est post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos et interrogantem illos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis eius. et videntes admirati sunt. et dixit mater eius ad illum. fili quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes querebamus te. Et ait ad illos. Quid est hoc quod me querebatis? nesciebatis quia in his que patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum. quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis et venit nazareth. et erat subditus illis. et mater eius conservabat omnia verba hec conferens in corde suo. Et Ihesus proficiebat etate et sapientia apud deum et homines.

III Anno quinto decimo imperii tiberii cesaris procurante poncio pilato iudeam, tetrarcha autem galilee herode philippo autem fratre eius tetrarcha ituree et traconitidis regionis et lisania abilene tetrarcha sub principibus sacerdotum anna et caypha: factum est verbum domini super iohannem zacharie filium in deserto. Et venit in omnem regionem iordanis predicans baptismum penitentie in remissionem peccatorum omnium. sicut scriptum est in libro sermonum ysaie prophete. Vox clamantis in deserto parate viam domini rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur. et omnis mons et collis humiliabitur. et erunt prava in directa et aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare dei. Dicebat autem ad turbas que exiebant ut baptizarentur ab ipso. Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus penitentie et ne ceperitis dicere patrem habemus abraham. dico autem vobis quia potens est deus de lapidibus istis suscitare filios abrahe. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor que non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbe dicentes. quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis. qui habet duas tunicas det non habenti. Et qui habet escas similiter faciat. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur et dixerunt ad illum. magister quid faciemus? At ille dixit ad eos. Nichil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis. Interrogabant autem eum et milites dicentes. quid faciemus et nos? Neminem concutiatis neque calumpniam faciatis. et contenti estote stipendiis vestris. Existimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de iohanne ne forte ipse esset christus. Respondit iohannes omnibus dicens. Ego quidem baptizo vos aqua. venit autem fortior me post me cuius non sum dignus solvere corrigiam calciamentorum eius. Ipse vos baptizabit spiritu sancto et igni. Cuius ventilabrum in manu eius. et purgabit aream suam. et congregabit triticum in orreum suum. paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populum. Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de herodiade uxore fratris sui et de malis omnibus que fecit herodes adiecit et hoc super omnia et inclusit iohannem in carcerem. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus et Ihesu baptizato et orante apertum est celum. Et descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Et vox de celo facta est. Tu es filius meus dilectus in quo complacuit michi. Et ipse Ihesus erat incipiens quasi annorum .xxx. ut putabatur filius ioseph. Qui fuit heli. qui fuit mathat. qui fuit levi. qui fuit melchi. Qui fuit ianne. qui fuit ioseph. Qui fuit mathatie. Qui fuit amos. Qui fuit naum. Qui fuit esli. Qui fuit nagge. Qui fuit maath. Qui fuit mathatie. qui fuit semei. Qui fuit ioseph. Qui fuit iuda. Qui fuit iohanna. Qui fuit resa. Qui fuit zorobabel. qui fuit salathiel. Qui fuit neri. qui fuit neri. Qui fuit melchi. qui fuit addi. Qui fuit cosan. qui fuit helmodan. Qui fuit her. qui fuit ihesu. Qui fuit helieser. qui fuit iorim. Qui fuit mathat. Qui fuit levi. et Qui fuit simeon. qui fuit iuda. Qui fuit ioseph. Qui fuit heliachim. Qui fuit melcha. qui fuit mathaa. Qui fuit nathan. Qui fuit david. Qui fuit iesse. Qui fuit obeth. Qui fuit booz. Qui fuit salomon. Qui fuit naason. Qui fuit aminadab. Qui fuit aram. Qui fuit esrom. Qui fuit phares. Qui fuit iude. Qui fuit iacob. Qui fuit ysaac. qui fuit abraham. Qui fuit thare. Qui fuit nachor. Qui fuit sarug. Qui fuit ragau. Qui fuit phalech. Qui fuit eber. Qui fuit sale. Qui fuit chainan. Qui fuit arfaxat. Qui fuit sem. Qui fuit noe. Qui fuit lamech. Qui fuit matusale. Qui fuit enoch. Qui fuit iareth. Qui fuit malaleel. Qui fuit cainan. Qui fuit enos. qui fuit seth. qui fuit adam. qui fuit dei.

IIII Ihesus autem plenus spiritu sancto regressus est ab iordane. et agebatur spiritu in deserto diebus .xl. et temptabatur a diabolo. Et nichil manducavit in illis diebus. Et consummatis illis esuriit. Dixit autem diabolus. Si filius dei es. dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondit ad illum Ihesus. Scriptum est quia non in solo pane vivit homo sed in omni verbo dei. Et duxit illum diabolus. et ostendit omnia regna orbis terre in momento temporis. et ait ei. Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum quia michi tradita sunt. et cui volo do illa. Tu ergo si adoraveris coram me erunt tua omnia. Et respondens Ihesus dixit illi. Scriptum

STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ
http://digital.slub-dresden.de/ppn341421227/635